



Disputatio juridica inauguralis de legatis

<https://hdl.handle.net/1874/341844>

16

DISPUTATIO JURIDICA
INAUGURALIS,
DE
LEGATIS,

QVAM
FAVENTE DEO OPT. MAX.

Ex auctoritate Magnifici Rectoris,

D. HERMANNI WITSII,

S. S. Theol. Doctoris, ejusdemque in Inclita Academia Ultrajectina
Professoris Ordinarii, & Ecclesiae ibidem Pastoris facundissimi,

NEC NON

Amplissimi Senatus Academicorum Consensu, & Alme

Facultatis JURIDICÆ Decreto,

PRO GRADU DOCTORATUS

Summisque in utroque JURE honoribus, & Privilegiis ritè;
ac legitimè consequendis,

Eruditorum Examini subjicit

JACOB LOCQ DOEDENSZ. Amstelo Batavus.

Ad diem 9. Julii, loco horisque solitis.



ULTRAJECTI,

Ex Officinâ FRANCISCI HALMA, Academiæ
Typographi, clc lcc Lxxxvi.

*Clarissimo, Consultissimoque
V I R O.*

D. CORNELIO van DYCK,
Medicinæ Doctori eruditissimo
Practico felicissimo , eandem-
que Harlemi in Batavis summo
omnium applausu excenti.

N E C N O N

*Integerrimo ac Prudentissimo
V I R O*

D. JOHANNI van STADEN,
Patria in urbe Mercatori fidelis-
simo ,
Affinibus suis fraternâ necessitu-
dine & affectu prosequendis.

Inauguralia hæc

Eâ qua par est observantia Inscriptit atque
offert

JACOB LOCQ DOEDENSZ.

Auctor.

D I S P U T A T I O J U R I D I C A
I N A U G U R A L I S,
D E
L E G A T I S.
T H E S I S I.

Rerum dominia acquirentur, vel Jure Civili, vel Jure Gentium, puta secundario: modi Juris Gentium sunt varii, & proponuntur a §. 12. tit. 1. lib. 2. Inst. ad finem usque. Modi autem Juris Civilis sunt vel universales, vel particulares. Universales enumerauntur quatuor nempe hæreditas, bonorum possessio, acquisitione per arrogationem & additio libertatis causa qui inveniuntur lib. 2. & 3. Inst. Singulares vero modo sunt itidem quatuor, scilicet usucapio, donatio, Legatum & fideicommissum singulare, qui traduntur l. 2. Inst. nos prætermisssis cæteris, tam Juris Civilis, quam Juris Gentium, modis, in hac Thesi nostra agere statuimus de singulari Juris Civilis acquirendi modo Legato. Quod ut recte & ordine fiat ab explicatione verbi Legare incipiems.

II. Legandi verbum in Jure nostro duplicem habet significationem, sumitur enim vel generaliter, & tum pro qualibet ultimarum, voluntatum dispositione l. 8. & 120. ff. de verb. sign. ita ut tum fideicomissa, & mortis causa donationes eo contineantur l. 87. ff. de legat. 3. vel specialiter, & proprie, in qua significatione hac thesi sumitur, & ab Imperatore Justiniano §. 1. Inst. h. t. describitur, quod sit donatio quædam a defuncto relicta ab hærede præstanta, quæ definitio ex modestino desumpta est l. 36. ff. de leg. 2.

III. Melius autem definitur Legatum, a JCto florentino in l. 116. ff. de Legat. 1. quod sit delibatio hereditatis, qua Testator, ex eo quod universum hæredis foret, alicui quid collatum velit: dicitur autem delibatio respectu habito ad Legem falcidiæ, cum antea potuerit ex hauriri tota hæreditas Legatis pr. Inst. ad l. falcid.

IV. Sed utraque hæc definitio, non satis distinguit Legatum a fideicomisso, rectius itaque Ulpianus in Enchir. tit. 24. dicit. Legatum est, quod Legis modo, id est instar Legis imperative, & directis verbis Testamenti relinquatur, ut do, Lego &c. quoniam ea quæ præcariis verbis relinquuntur, ut rogo peto, fideicomissa ex re appellantur §. ult. Inst. de sing. rer. per fidic. relict. hodie autem de verbis laborandum non est, post quam Justinianus omne verbum Legitimum sensum Testatoris, legare aut fideicommitte-

4 A D I S P U T A T I O J U R I D I C A

re volentis, indicans utile atque validum esse jussit l. 2. C. comm. de Legat.

V. Jure antiquo Legata tantum Testamento, non etiam codicillis, nisi ad testamentum pertinentibus, relinquuntur, ratio ejus exstat in l. 12. Tabl. quæ aliud nihil ratum habet, quam, quod solemniter relinquitur; nihil autem solemniter relinquitur, quam testamento. Hodie vero legandi licentia adeo se extendit, ut non solum codicillis ad testamentum non pertinentibus, verum etiam ab intestato legata relinquantur, quorum tum præstatio, hæredibus ab intestato proximis incumbit cum ipsa hæreditas fideicommissaria in codicillis relictæ, restituatur etiam ab hæredibus Legitimis §. 10. Inst. de fideicomm. hæred. quo etiam facit Ulpiani responsum in l. 2. ff. de Legat. 1. ubi inquit, *illos demum legare posse, qui jus testandi habent,* quod ita interprætamur, non præcise requiri, ut legatum relicturus testamentum faciat, quod Jure antiquo necessarium erat, cum Legata tum non valerent, nisi testamento relictæ erant, ex sententia modestini l. 36. ff. de legat. 2. quamvis postea per constitutionem Justiniani l. 1. C. comm. de Leg. etiam in hoc exæquata sint fideicommissis.

VI. Legare possunt, qui habent testamenti factionem activam l. 2. ff. de Legat. 1. & l. 1. ff. de legat. 3. nam cui permisum est principale eidem non est denegandum accessorium, & contra cui non est testamenti factio activa, eidem non est legandi licentia: ut filius fam. servus, impubes, captus & similes, qui non testantur, & ideo non possunt etiam legare d. l. 2. & d. l. 1. in pr.

VII. Legari potest iis quibus est testamenti factio passiva §. 24. Inst. de Legat. hanc autem passivam testamenti factionem, non solum videtur habere, qui testamentum facere potest, sed etiam is, qui ex alieno testamento, vel ipse capere potest, vel alii acquirere, licet non possit facere testamentum §. 4. Inst. de hæred. qual. & differen. l. 16. ff. qui testam. face. poss. l. ult. ff. pro hærede unde & servo recto legatur, quia licet ex sua persona non sit capax Juris Civilis, ad quod spectat testamenti factio, est tamen capax ex persona domini l. 12. ff. de legat. 1.

VIII. Non tantum Legatur ab herede instituto, verum quoque substituto, imo etiam pupillari; non tamen pupilli ex hæredati, quia ut talis pupillus non potest gravari, ita nec ejus substitutus l. 24. c. de Legat. à Legatario quoque et si Jure veteri Legari non potuerit hodie tamen recte etiam legari potest, non tamen amplius, quam ei relictum est l. 70. in pr. ff. de Legat. 2. cum nemo sit gravandus ultra quam honoratus l. 1. §. 17. ff. ad f. Crum Trebell. quod rerum esse defendimus, quatenus quantitas cum quantitate confertur: nam si rogatus restituere aliquid, legata certa quantitate, etiam minore, quam res, quæ rogatur restituere, accepto legato,

I N A U G U R A L I S.

to , cogitur legatarius rem suam præstare , quod videatur approbasse voluntatem & rem suam pluris non estimasse d.l. 70. §. 1.

IX. Res quælibet legari potest , sive corporalis , sive incorporalis , sive præsens , sive futura , nostra , vel aliena §. 4. *Inst. de Legat.* res autem alienæ , recte legari posse , etiamsi , difficilis earum paratio sit , docet nos J Cetus in l. 39. §. 7. ff. *de Legat.* 1. nec obstat Lex 12. Tabul. , quæ tantum de suo legandi potestatem facit l. 120. ff. *de Verb. signif.* nam & qui legat rem alienam & effectu de suo legare intelligitur , nempe heredem suum onerare , ut rem redimat , & redemptam præstet , aut si id non possit estimationem inférat , qui hujus Legati effectus est §. 4. *Inst. de Legat.* l. 71. §. 3. ff. *de Legat.*

X. Legatum rei alienæ non semper præstatur , quoniam distinguendum est utrum Testator , rem alienam legans , sciverit alienam esse , an ignoraverit : si sciverit rem alienam esse , præstabatur , si ignoraverit , non item l. 67. §. 8. ff. *de Legat.* 2. l. 10. C. *de Legat.* 4. 4. *Inst. eod. forsan enim* , inquit Justinianus , si scivisset alienam rem esse , non legasset . Quod potissimum ex inde colligimus , quoniam nemo facile credendus est liberalitatem de alieno exercere & heredem suum onerare voluisse redemptione rei alienæ d.l. 67. §. 8. l. 36. §. 1. *in fin. ff. de usfr. Leg.*

XI. Accidit tamen interdum , ut res aliena indistincte debeatur , hoc est sive sciverit testator rem alienam esse , nec ne , veluti si relicta sit personæ proximæ , ut parenti , uxori , alicui excognatis , aut amico singulari , aliive tali personæ , cui vero simile est Testatorem quovis modo legaturum fuisse l. 10. C. *de Legat.* qua distinctione tamen in precedenti Thesi posita opus non est in re legata & hæreditis propria , quoniam ea omnino debetur , quamvis eam testator suam existimans legaverit : nempe ideo , quod cum rei legata dominus ipse heres sit , tum facile eam heres præstare potest , quam rem , quæ defuncti fuit d.l. 67. §. 8. *de Legat.* 2.

XII. In Legato rei alienæ , semper fere oritur quæstio inter heredem & legatarium , dum heres contendit ignorasse defunctum rem alienam esse , Legatarius contra testatorem scivisse , quod dubium parit , utri , scilicet incumbat probandi necessitas , heredine ignorasse defunctum , an Legatario scivisse alienam rem esse : nos cum Imperatore Justineano §. 4. *Inst. de Legat.* dicimus legatarium probare oportere , scivisse defunctum rem alienam esse , quia necessitas probandi incumbit ei , qui agit , qualis actor hic Legatarius est non heres l. 2. ff. *de Probat.* l. 23. C. *de Probat.* l. 4. C. *de edend.* & hoc iisdem verbis J Cetus Marcius affirmat in l. 21. ff. *de Probat.* Accedit huc etiam illa ratio , quod heres presumptione juris adjuvatur , quæ , et si actoris

6 DISPUTATIO JURIDICA

partes heres sustineret, onus tamen probandi in Legatarium rejiceret
l. 8. & 9. ff. de Probat.

XIII. Si duorum Testamentis, alicui eadem res sit legata, ex unius testamento aestimationem, sive pretium legatarius perceperit, postea ex altero testamento rem petere potest l. 34. §. 1. ff. de Legat. 1. necessario prius aestimationem, sive pretium petere debet, quod si rem potius petierit, ex uno testamento, postea ex altero testamento ad pretium agere non potest, propter obstantem regulam, que tradit: *duas lucrativas causas in eundem hominem & eamdem rem concurrere non posse* §. 6. *Instit. de Legat.* quo etiam facit l. 88. ff. de verb. sign. in qua JCtus docet, eum qui rem habet & aestimationem habere intelligi, contra, qui aestimationem habet, non videri habere rem ipsam, rei enim aestimationem inesse, aestimatione autem rem non contineri. Ut proinde si is, qui rem habet, aestimationem petat, id petere intelligatur, quod jam habet. Qui aestimationem adeptus est, si rem petat, id petere, quod non habet.

XIV. Dicimus duorum, puta diversorum testatorum, testamenti: nam si eadem species, eidem saepius legetur eodem testamento, amplius quam semel peti non potest, sufficitque vel rem consequi, vel rei aestimationem l. 34. §. 1. ff. de Legat. 1. quoniam saepius idem legando non auget testator Legatum l. 42. ff. de usfr. nec tam legasse saepius, quam saepius locutus creditur l. 66. §. 5. ff. de Legat. 2. l. 86. §. 1. ff. de Legat 1. nisi manifeste constet, ampliandi Legati causa saepius legasse.

XV. Omne Legatum, aut pire relinquitur vel, in diem, vel sub conditione, purum est, quod vacat omni adjectione. In diem, quod adjecto certo die, quo prestatetur, relictum est. Sub conditione relinquitur, cum in futurum eventum legatum suspenditur. Puri legati dies statim cedit a morte testatoris l. 1. ff. de condit. & demonstr. l. 14. de Reg. Fur. §. 4. *Instit. de verb. oblig.* ideoque ad Legatarii heredem transmittitur l. 5. §. 1. ff. quand. dies Legat. excepto usufructus legato, cuius dies non cedit, nisi post aditam hereditatem l. 5. §. 1. in fin. ff. quando dies Legat. quod in diem certum relictum est, quamvis ex die aditae hereditatis debeatur, ideoque etiam ante diem solvi possit, peti tamen, antequam dies venerit, non potest d. l. 5. ff. quando die Legat. l. 1. §. 1. ff. de condit. & demonst. l. uni. §. 1. C. de Cadu. Tollend. cuius legati dies etiam cedit a morte Testatoris: unde fit, ut si mortuo testatore, ante aditam hereditatem, aut diem, hujusmodi Legatarius decesserit, legatum ad heredes suos transmittat d. l. 5. quand. dies Legat. d. l. uni §. 1. in fin. C. de cadu. Tollend. adde l. 213. de verb. sign. conditionalis Legati dies non cedit, priusquam conditio existiterit, ideoque

que ante tempus existentie illius, moriente Legatario, evanescit legatum & in heredem ejus non transit d. l. §. 2. ff. quando dies Legat. & l. 59. ff. de condit. & demonst.

XVI. Conditio Legato apposita habetur pro impleta, si non stet per Legatarium, quo minus adimpleatur l. 5. §. 5. ff. quando dies Legat. 1. & 3. C. de condit. & demonst. §. 10. Instit. de hered. institut. distinguimus tamen inter conditionem & turpefactum, quod hæredi imponitur, & illud quod Legatario injungitur: nam si turpe, vel impossibile quid hæredi imponatur faciendum sub pæna legati, seu nisi id faciat hæres oneretur Legatio, hoc casu nullum est legatum, & non valet, quamvis hæres injunctam sibi a Testatore conditionem non adimpleverit l. 20. ff. de condit. & demonst. §. ult. in fin. Instit. de Legat, quia iniquum est aliquem ad delinquendum invitari, & pænam pati, ubi nihil deliquerit. Aliud vero est, si Legatario relictum est legatum, sub impossibili conditione, quia hoc casu nihilominus valet Legatum, & res legata debetur Legatario, quamvis ille defuncti voluntatem, & conditionem, sub qua res sibi data erat, non sit infuscatus, habetur enim illa turpis, vel impossibilis conditio, legatis adjecta, pro non scripta d. §. 10. Instit. de hered. Instit.

XVII. Non solum peractiones personales, verum etiam per in rem & hypothecariam licet legatario rem legatam persecui §. 2. in fin. Instit. de Legat. interest enim rei publicæ, ut defunctorum voluntates sortiantur exitum, & implementum habeant l. 1. C. comm. de Legat. Hinc si heres, a quo legatum aliquod relictum est, illud præstare recusat, tria Legatario competunt remedia, seu actiones, quarum prior est in personam heredis, & vocatur Actio ex testamento l. 69. §. ult. l. 82. in pr. l. 91. §. ult. ff. de Legat. 1. l. 29. §. 3. ff. de Legat. 3. & l. 6. ff. de in item jurand. §. 3. Instit. de Legat. qua persequitur Legatarius heredem Testatoris, ex aditione hereditatis, per quasi contractum, ad solvenda legata obligatum §. 5. Instit. de oblig. ex quasi contract. l. 5. §. 2. ff. de oblig. & actio.

XVIII. Altera est in rem actio, in specie reivindicatio dicta §. 15. Instit. de action. quæ ut locum habeat, hæc duo requiruntia 1. ut legata sit certa species, non autem quantitas, 2. ut res legata fuerit Testatoris propria, hisce binis concurrentibus, Legatarius, post mortem testatori, statim sit dominus rei legata, modo legatum pure seu nulla nec die nec conditione, adjecta relictum sit, l. 80. ff. de Legat. 2. l. 64. ff. de Furis ad cuius rei consequendam possessionem utitur hac actione, contra quemvis ejus possessorem, sive heres ipse, sive quilibet alius eam, possideat, cum possessio huic in rem actioni possessorem pariat l. 27. §. 1. ff. de Rei vind.

XIX. Ter-

XIX. Tertia actione, deficentibus binis prioribus remedii, succurritur Legatario, quæ vocatur hypothecaria, & datur cuilibet creditori, tam expressam, quam tacitam hypothecam habenti §. 7. *Inst. de action.* ejusmodi autem creditor, etiam est Legatarius, quia ille ex dispositione legis pro consequendo legato, tacitam habet hypothecam in omnibus defuncti bonis, præsertim immobilibus l. 1. & 2. *C. Comm. de legat.* agitur hac actione hypothecaria in quascunque res a defuncto relietas, adversus quosvis earum rerum possessores. Dicimus a defuncto relietas, siquidem non res heredis propriæ, sed hæreditariæ ex hac causa pignori sunt Legatariis.

XX. *Voluntas Testatoris* inquit JCtus Ulpianus in l. 4. ff. de adimend. vel transfer. Legat, ambulatoria est usque ad vita supremum exitum, quod idem, confirmat Imperator in l. 1. C. de Sacro S. Eccles. volens quod nihil magis hominibus debeatur, quam ut ultimæ voluntatis, postquam jam aliud velle non possunt, liber sit stylus, & licitum quod iterum non redit arbitrium. Hinc quod semel alicui dedit, id ei adimere, vel in alium transferre non prohibetur testator. Declaratur hæc adimendi voluntas non tantum verbis, verum etiam factis l. 6. ff. de adimend. vel transfer. Legat. verbis dum aperte testatur, se aut adimere, quod dedit, aut in alium transferre. Factis, si rem legatam testator destruxerit, aut rem legatam in aliam speciem transtulerit, quæ ad pristinam materiam reduci non possit l. 65. §. ult. ff. de Legat. 1. l. 88. §. 2. ff. de Legat. 3. l. 44. §. 2. ff. de Legat. 1. adimendi animus quoque colligitur, si testator citra necessitatem alienaverit §. 12. *Inst. de Legat.* puta alteri donaverit Legatum, aut debitum legatum vivus exegerit §. 21. *Inst. cod.* totiens autem adimendi animum habuisse intelligitur, quotiens, nulla urgente necessitate, alienavit l. 18. ff. de adimend. & transferend. Legat. 34. in fin. ff. de aur. arg. seq. nam nemo in necessitate liberalis est.

F I N I S.